

De auxilio in montibus

Aliquot ante annos David et ego montem in oriente Helvetiae situm manibus ascendimus. Per multas horas saxa praecipitia superabamus dum denique ad apicem montis pervenimus. Secundum librum quo viae manibus ascendentes erant descriptae signa colore picta expectaveramus quibus semita in vallem indicta esset. Sed frustra illa signa invenire conati sumus: planitiem summi montis, qui undique proclivibus saxis est circumdatus, per unam horam diligenter perscrutati nullam viam in vallem nobis patere constituimus. Quid nobis erat faciendum? Inita subductaque ratione telephono illam societatem appellavimus quae viris periclitatis in montibus auxilium mittere offerebat.

"Quis loquitur? Ubi estis?"

Nomen illius montis dedi quo haesimus.

"Estisne vulnerati? Aliquisne mortuus est?"

"Non, bene valemus, sed illam semitam qua de monte descendere possumus invenire nobis non contigit. Te oramus ut nobis numerum telephonicam illius refugii des quod in radice montis sit situm. Certe caupo illius refugii nobis viam in vallem possit indicare."

"Fortasse mittere helicopterum praestet?"

"Helicopterum nobis non est necesse. Si nobis des illum numerum telephonicum, omnia bene se habebunt."

Illa quaestione helicopteri diu disputata denique illum numerum telephoni quod quaesivimus obtinuimus.

"Sed si helicoptero egeatis..."

Caupo refugii valde est miratus quod illam semitam nullis signis indictam quae post saxum magnum est abdita, non invenissemus.